

Ad literas Tuas 25. Augusti respondi et responsorias ni fallor Chemnitium misi; forte inde recipias. Quales misisti plantas non recordor, certe notissimae erant, cum inter exsiccatas non reposui eas, quas alias non seposuissem. Recordor Saxifragam nivalem famisse unam.

Hyems nostra fuit adeo mitis, ut similem nullus recordatur, etiamnum terra nuda est, absque glacie, absque nive.

Cum Tidströmianis Lapidibus mittam opuscula mea, quae etiamnum exstant apud me in duplo.

Extra Lithophylacium meum habeo lapides copiosissimos, mihi magis oneri quam oblectamento. Habeo et plantas in duplo plurimas; quas praeterito anno seposui e Phytophylacio meo. Utinam commercium institui posset facile.

Audivimus Crantzium descripsisse fructificationem *Cycas* florentem in Horto Wiennensi. oro mecum communices in Literis ejus characterem genericum.

Scopoli Mineralogiam tandem accepi. Expectaveram longe majora in isto studiorum genere, adeoque invitus mea edidi ante ejus opus. Video Te communicasse cum eo varia.

Campanula ista Tua ultimo missa, fol. cordatis, pedunculo unifloro, anne poterit esse mera varietas Campanulae pullae, quam ipse descripsisti in Obs. t. 18.?

Fui hodie apud D. Tidstroem et vidi eum seposuisse pro Te Lapidem, nondum vero eorum Catalogum accepi, quem mittam dum accepero.

Quaeso in tempus vernale me exhillares aliquot seminibus e ditissimo Tuo paradiso

Includo aliquot semina; forte antea habes omnia.

Literas tradidi Tidströmio.

Vale. Upsaliae 1769, d. 12. Januarii, nocte insomni.